



I. Abteilung: Abhandlungen.

De Duodenario Numero in Scripturis Sanctis.

Dissertatio.

Scrpsit Philippus Claramunt, O. S. B. mon. Montserratensis.

a) In ternario numero, id est, in divinarum trinitate Personarum omnis pulchritudo continetur atque perfectio; quod profecto non cuilibet convenit ternario numero, sed hujus divini peculiari est, quippe qui solus invenitur in simplicitate perfectionis, cum reliqui omnes unitatem non constituent nisi per compositionem. Porro in sola unitate simplicitatis inveniri potest omnis pulchritudo atque perfectio; quia omne compositum perfectius est suis componentibus, et eo ipso, utpote ex imperfectis constans, nequit esse absolute perfectum. Equidem in Deo secundum perfectionem unitatis entitatis plenitudo continetur; ex vitae autem plenissimae explicatione societas oritur Personarum beatissima in mutuo charitatis complexu: et ita sane in ternario numero secundum simplicitatem perfectionis omnis physica pulchritudo includitur, id est, omnimodae splendor varietatis in unitate perfecta; secundum Personarum vero societatem omnis pulchritudo moralis in charitate, quae est vinculum perfectionis. Cum igitur totus Deus vita sit, divinae autem vitae activitas per intellectus operationem et voluntatis exerceatur; hinc omnis perfectio et pulchritudo ad trinitatem illam revocatur quae divinae sapientiae atque amoris est fructus, et in qua Ens absolute perfectum vitam suam explicat illam totaliter communicando et in ipsa communicatione plenissime possidendo. Unde ternarius numerus perfectissimus omnium est in sensu absoluto, quia Deus unus et trinus, qui perfectissime simplex est et infinite perfectus, sibi plenissime sufficit, praescindente beatitudine sua ab alterius entis existentia, imo et omnem perfectione sua excludente a se distinctam existentiam quae ab eo esse non accipiat.

b) In homine quoque, qui ad imaginem Dei creatus est, invenitur, quamquam aliter, ipse ternarius divinitatis numerus. Habet quippe homo in anima sua, secundum quam est imago Dei, tres potentias in unitate substantiae, sicut sunt in Deo tres virtutes in unitate naturae: ipsae autem sunt virtus intellectualiter per-

ceptiva, virtus appetitiva et virtus productiva, speciei nimirum rem perceptam repraesentantis. Homo autem non sibi sufficit, nec suae in se habet objectum beatitudinis; sed omnes perfectiones suas et vel existentiam ipsam a Dei bonitate accipiens, ad hoc a Deo creatus est ut per amorem Dei beatus efficiatur, et in eo Deus glorificetur. Porro in Deo ternarius numerus invenitur in unitate simplicitatis, in homine autem in unitate compositionis: et ratio est, quia vita Dei, cum non sit composita ex potentia et actu, sed sit actus purissimus, non se explicat nisi ad suam perfectionis plenitudinem communicandam, et ideo salvatur in trinitate simplicitas; in homine vero, qui in qualibet operatione compositus est, sicut omnis creatura, ex potentia et actu, vita se exerit ad acquirendam qua caret perfectionem et complementum, et ideo supradictus virtutum ternarius numerus non potest in eo cum simplicitate consistere. Iam vero perfectio potentiarum animae, dum adhuc homo tendit in finem, in eo sita est quod sint proxime dispositae ad recte agendum in ordine ad finem; finis enim est perfectionis consummatio, in quo perfectio potentiarum simpliciter spectata non erit nisi actualis operatio qua finis possidebitur, nam relate ad statum beatitudinis imperfectio simpliciter est ab operatione cessare, cum beatitudo ipsa in operatione consistat. Rectitudo autem operationis in ordine ad finem ordo moralis est, qui ad voluntatem quidem pertinet quoad executionem, sed prius est in intellectu secundum normam et directionem rectae rationis. Nec aliud insuper requiritur ad totius animae perfectionem, quia virtus specierum productiva vel memoria ad hoc deservit ut eorum habeatur notitia quorum cognitio interest nostra ad finem assequendum. In cognitione ergo moralis ordinis, quatenus cuique ipsa opus est, et in voluntate illum exequendi tota consistit animae perfectio relate ad assecutionem finis. Itaque, quamvis actus moralis ille est qui a voluntate deliberata procedit, et ideo secundum voluntatem, non secundum intellectum, est anima subjectum moralitatis, prudentia nihilominus, quae perficit intellectum, quippe quae est recta ratio agendorum, recte virtus moralis nuncupatur propter suum objectum; actus namque voluntatis cuius objectum prudentia proponit, necessario est moraliter bonus, siquidem in eo moralis operationum ordo consistit quod ordo servetur rectae rationis. Voluntatis autem inclinatio ad bonum morale quod prudentia proponit, amplectendum iustitia nuncupatur. Iustitia ergo perfectio voluntatis est, sed non eodem modo se habet ad voluntatem quo prudentia ad intellectum: voluntas enim uno modo tantum, duobus vero intellectus compositus est ex potentia et actu, vel potius anima secundum intellectualem cognitionem; voluntas namque in potentia est ad actualem operationem, quoad intellectionem vero et intellectus est in potentia ad actualem operationem, et anima est

in potentia ad specierum acquisitionem in quibus cognitionis objecta repraesentantur, et quibus proinde in memoria latentibus retinetur, operatione cessante, acquisita notitia objectorum; unde fit ut secundum intellectualem cognitionem distinguenda sint in anima potentia operandi, actualis operatio et habitus scientiae, per quem anima proxime disponitur ad ea quorum scientia acquisita est, actu intelligenda. Voluntas vero, spectata natura spiritualis substantiae, non indiget habitu ut sit proxime disposita ad recte agendum, quia naturaliter anima inclinatur ad bonum quodcumque naturalis ordinis quod intellectus proponit, per voluntatem amplectendum. Dixi autem: — spectata natura spiritualis substantiae, — quia ex compositione animae et corporis sunt in homine motus appetitus sensitivi, qui per se praescindunt ab ordine rationis, nec potest in illis ipse ordo servari nisi per voluntatis imperium, quae ordinem eundem exequendo vel motum appetitus reprimit, ne aliquid rationi contrarium ipse concupiscat, vel e contra aliquid, appetitu repugnante, amplectitur quod ratio dietat. Ista igitur appetitus et rationis stante pugna, cum unius et ejusdem animae sint appetitus et rationalis voluntas, indiget haec, ne per motum appetitus trahatur ad aliquid rationi contrarium, per repetitionem actuum appetitui repugnantium roborari, quatenus virtute habituum qui per talium actuum repetitionem generantur, appetitus absque repugnantia obediat voluntati, seu voluntas per imperium quod in appetitum exercet, facile rationis ordinem exequatur et in iis amplectendis quae per se appetitus respuit, et in abstinendo ab aliis ad quae appetitus naturaliter inclinatur. Quam duplicem voluntatis virtutem fortitudinem et temperantiam respective nuncupamus, quae in justitiae quidem notione secundum executionem ordinis rationis continentur, sed ab ea distinguuntur secundum quod ipsa non importat nisi naturalem substantiae spiritualis inclinationem ad bonum rationis amplectendum, illae vero important quoque habituale dominium rationalis voluntatis in appetitum ita ut hic absque repugnantia obediat voluntati rationis ordinem exequenti. Et ideo fortitudo et temperantia sunt habitus perficientes voluntatem, quibus ipsa facile et expedite quae rationi sunt consentanea, non obstante inferiori appetitu, operatur: justitia vero, quatenus distincta a fortitudine et temperantia, non est habitus perficiens voluntatem, siquidem inclinationem ad bonum rationis a natura sua habet spiritualis substantia. Itaque per quatuor istas virtutes, prudentiam nimirum, justitiam, fortitudinem et temperantiam, perficitur homo quoad ordinem moralem. Sed cum ordo moralis in actionum consistat ordinatione ad finem, finis autem hominis supernaturalis sit et divinus, si praefatae virtutes possent in homine absque supernaturali Dei gratia inveniri, hominem simpliciter perfectum non efficerent. Dixi autem: si possent in-

veniri, quia etsi possibilis est in homine, etiam in praesenti ordine divinae providentiae, actus moraliter bonus absque supernaturali dono Dei, ut in gentili antequam annuntietur ei Evangelium Christi; sed cum Deus velit omnes homines salvos fieri, id est, ad supernaturalis finis assecutionem pervenire, non videtur credendum aliquem umquam fuisse vel futurum esse qui recte naturali ratione utens, vel unum temporis instans supernaturali careat gratia Dei, licet Evangelii praedicationem nondum audierit, vel etiam per totam vitam suam numquam audiat; siquidem facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam, et gratiam quidem qua ad perfectam. Dei cognitionem et fruitionem adspiret: unde locus non superest virtutibus mere naturalibus per bonorum actuum repetitionem acquirendis. Sed quidquid de hoc sit, per virtutes mere naturales non assequitur homo supernaturalem finem suum, quia non fit particeps regni Dei. Nam regnum Dei, quod intra nos est, simile est fermento quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum. Porro farinae massa cui divinum hoc fermentum injicitur, vita est animae nostrae, quae tribus potentiis constat: fermentum autem per quod naturalis vita animae in supernaturalem et divinam transformatur, fidei doctrina est, de qua B. P. Benedictus, de Abbatis qualitatibus scribens, ait: (Reg. cap. II) „Iussio ejus vel doctrina, fermentum divinae justitiae, in discipulorum mentibus conspergatur.“ Cum enim fides secundum suum objectum sperandarum sit substantia rerum, quae videlicet filiis Dei promittuntur possidendae in coelis, dogmatibus illius fit atque praeceptis ut terrenis ac temporaneis rebus abdicatis, tres potentiae animae nostrae divinis vacent atque aeternis. Et ipsa quoque Scriptura sancta significat doctrinam salutarem intelligendam esse nomine regni Dei, dicente Domino Jesu principibus sacerdotum et Pharisaeis: (Matth. XXI, 43) „Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.“ Rursus fermentum quo in supernaturalem ac divinam transformatur naturalis vita animae nostrae, gratia quoque est Spiritus Sancti, in qua etiam Apostolus consistere dicit regnum Dei, ubi ait: (Rom. XIV, 17) „Non est regnum Dei esca et potus; sed justitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto.“ Et ipsa quidem gratia est qua supernaturaliter vivificatur anima nostra, nec quidquam sine illa prodest praedicatio veritatis, quia neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Caeterum divina gratia qua supernaturaliter vivit anima nostra, non distinguitur a fermento doctrinae nisi secundum doctrinae ipsius objectum, veritates nempe supernaturales circa quas spiritualis vitae versatur exercitium; nam divinae gratiae fermento, in quo consistit regnum Dei quod intra nos est, non solum voluntatis pie motiones una cum gratia santificante, sed mentis quoque illustrationes compre-

henduntur. Iam ergo vivifica nobis Dei gratia renovatis, qua Spiritus Sanctus nos regenerat et in novos homines transformat, novae quoque in anima oriuntur supernaturales virtutes, fides nempe, spes et charitas, quae Deum tanquam supernaturalem finem nostrum directe respiciunt, et quarum exercitio actiones omnes morales mortalis vitae nostrae ad aeternam ordinantur ac beatam vitam in coelis. Porro per easdem theologales virtutes homo prudens fit sanctorum scientia, qua non juxta naturalis tantum rationis dictamen judicat de agendis, sed juxta Spiritus Sancti illustrationem et inspirationem, quibus movetur animus ad agenda quae Deo sunt placita, humanis judiciis posthabitis, et etiam ad opera pro Dei gloria aggredienda quae inter minus perfectos Christi fideles impossibilia vel inconvenientia reputantur, quoniam animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei. De justitia vero audiamus Apostolum dicentem: „Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.“ Impossibile enim est placere Deo sine fide, quae spem parit et per dilectionem operatur. Similiter oculi Domini praebent fortitudinem iis qui corde perfecto credunt in eum: sempiternus quippe Deus, qui creavit terminos terrae, ipse est qui dat lasso virtutem, et iis qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat. „Deficient pueri et laborabunt, ait Isaias, et juvenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.“ Et sane, si Deus pro nobis, quis contra nos? Certi sumus quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei; quia fortis est ut mors dilectio. Temperantia denique eatenus nobis proderit ad vitam aeternam quatenus jejunante corpore coelestibus anima nutriatur alimentis, et refectio sit pauperis abstinentia jejunantis: nam religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo; quod per easdem theologales virtutes anima praestat, per quas nostra conversatio in coelis est. Actus igitur quatuor virtutum cardinalium per tres virtutes theologales ad supernaturalem finem ordinantur. Iam vero quatuor ter ducta duodecim inveniuntur: et quidem in duodenario numero, id est, in duodecim Spiritus Sancti fructibus, qui e divini prodeunt evolutione elementi in anima nostra, supernaturalis consistit perfectio hominis in finem tendentis. Sunt autem hi fructus: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas: e quibus operibus et

affectionibus sanctis, sicut e fructibus arbor, hominis virtus dignoscitur. In charitate gaudio et pace beatitudo consistit; sed beatorum charitas est omnino perfecta, gaudium purum, pax absque perturbatione ulla. Participantur autem haec tria in via, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis: charitatem autem necessario sequuntur gaudium et pax; quia gaudium est formalis effectus amoris, pax vero est tranquillitas ordinis, quae praecipue habetur in amore summi boni. Sed inchoata per Dei gratiam, per virtutum moralium ac theologalium exercitium perficienda sunt, in Coelo demum consummanda. Ideo fructus etiam Spiritus Sancti sunt patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides; per quas vitae hujus adversa pro amore Dei aequo animo toleramus, et juxta praeceptum Apostoli alter alterius onera portantes, proximis nostris quantum possumus benefacimus, et sic adimplemus legem Christi, qui dixit: „Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.“ Per divinae autem legis adimplerionem meremur vitiorum illecebras ac tentationes fraenare et cohibere, adeo ut anima jam Deo perfecte subdita, digna sit inferiori appetitui dominari, et modestia fruatur, continentia et castitate. Ad quos duodecim Spiritus Sancti fructus alludit Christus Dominus dicens ad principes sacerdotum et Pharisaeos: „Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.“ In Abrahae quidem filiis fructus ipsos oportebat inveniri; sed sicut Abrahae reputata est fides ad justitiam non in circumcissione sed in praepotio, ita non omnes qui semen Abrahae sunt, hi sunt filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine; nam in semine Abrahae, scilicet Christo, non solos Israelitas benedicendos promisit Deus, sed omnes gentes.

c) Non solum autem in perfectione individuorum humani generis duodenarii ratio numeri consideranda est secundum fructus qui e divinae prodeunt bonitatis influxu in animas eorum, sed in humana quoque societate universam terram occupante, quae per fluvium aquae vitae, quem vidit B. Joannes Apostolus, procedentem de sede Dei et Agni (quem spiritualement fluvium coelestis paradisi materialis ille paradisi terrestis, qui in quatuor dividebatur capita, praefigurasse videtur) in quatuor orbis partibus irrigata, sanctitatis fructus producit in Christi membris, quae a quatuor Deus colligit ventis, angelicis in coelo consocianda choris. Itaque in quatuor orbis partibus et tribus divinis Personis, e quarum vita, quae fons est inexhaustus omnis boni, egreditur fluvius aquae vivae triumphantem ecclesiam beatificans, sanctificans autem militantem, duodenarii numeri Apostolorum Christi ratio invenitur, per quorum ministerium in nomine et virtute Sanctae Trinitatis omnes gentes ad fidem Christi perductae sunt, per quam de spiritu Christi participant, id est, de gratia vel communicatione Spiritus

Sancti, quae per fluvium illum aquae vivae procedentem de sede Dei et Agni significatur: dixit enim Dominus Iesus: „Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae“: et subdit Evangelista: „Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.“ Quemadmodum igitur tribus Personis divinis, singulis quidem ex integro, sanctificatio debetur animarum in quatuor orbis partibus, similiter pro quatuor iisdem partibus evangelizandis duodecim Apostoli, id est, pro singulis tres, tamquam causae ministeriales sanctificationis hominum, in honorem Sanctae Trinitatis, per illa verba Domini deputati sunt: „Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.“ Quod in populo Hebraeorum, quibus omnia in figura contingebant, non obscure adumbratum est. Nam in duodecim tribubus Israel, quarum proximi parentes fuerunt duodecim filii Iacob, universitas figurabatur christianorum, qui per Apostolorum doctrinam et baptismum ad spirituale vitam renascuntur: Iacob autem, duodecim patriarcharum pater, Spiritus Sancti figura fuit, per quem Apostoli facti sunt doctores ac fundamenta Ecclesiae. Denique sicut Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, et per charitatem Patris et merita incarnati Filii in Apostolos effusus est, tribuitque eis virtutem spirituales Christo generandi filios, similiter Iacob processit ab Abraham per Isaac, et propter immolationem Isaac, sacrificium Christi repraesentantem, duodecim patriarcharum pater effectus est. Postquam enim Abraham, Deo fidelis, obtulit filium suum Isaac in holocaustum, Deum Patrem repraesentans, qui Filium suum Iesum tradidit in mortem pro salute nostra, haec ab Angelo Domini audire meruit: „Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli, . . . et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae.“ Rursus per visionem B. Ioannis, quam ipse refert in Apocalypsi, duodenarius et Apostolorum et tribuum filiorum Israel numerus cujusdam ostenditur esse universitatis sacramentum. Vidit enim B. Ioannes civitatem sanctam Ierusalem descendentem de coelo a Deo, quae habebat murum magnum et altum habentem portas duodecim, et in portis Angelos duodecim, et nomina inscripta, quae sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Ab Oriente portae tres, et ab Aquilone portae tres, et ab Austro portae tres, et ab Occasu portae tres. Et murus civitatis habebat fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. Quid est enim quod ad singulas quatuor orbis partes erant portae tres, nisi quod omnibus gentibus in coelestem Ierusalem patet ingressus? Si ergo in portis coelestis Ierusalem nomina duodecim tribuum Israel inscripta erant, manifestum est universitatem fidelium salvandorum in duodecim tribubus

Israel fuisse figuratam. Deinde circa murum civitatis et fundamenta illius considerandum est, quod murus quo Ecclesia defenditur ab inimicorum incurribus, doctrina fidei est, per quam in ea puritate conservatam qua Apostoli ipsam tradiderunt, et fideles de laqueis venantium daemoniorum liberantur, et Pastores ab omni errorum ac vitiorum labe praeservant Christi Sponsam. Unde Apostoli quoque ac eorum in verbo Christi evangelizando successores per murum illum coelestis Ierusalem symbolice repraesentantur: si enim murus est doctrina fidei, ergo et ipsi doctrinam fidei praedicantes muri sunt, sicut murus fuit Ieremias virtute verbi Domini dicentis ei: (cap. I) „Ego . . . dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum aereum, super omnem terram, regibus Iuda, principibus ejus, et sacerdotibus, et populo terrae. Et bellabunt adversum te, et non praevalent: quia ego tecum sum . . . ut liberem te.“ Doctores autem ac Pastores Ecclesiae in genere ad murum pertinent tamquam muri partes simpliciter; sed Apostoli insuper muri fundamenta sunt, sive propter fidei. Symbolum quod ipsi condiderunt, quodque in duodecim articulis quibus constat, Ecclesiae fundamentum est; sive etiam, et fortasse melius, propter suam infallibilitatem et auctoritatem; nam in tantum Ecclesiae una et eadem semper est, vel ea ipsa quam Christus instituit, in quantum fidei depositum quod ab Apostolis accepit, fideliter custodit. Duodenarius igitur Apostolorum numerus in fundamentis muri Ierusalem universitatem designat Ecclesiae docentis: quia etsi absoluta eorum auctoritas, ratione cujus fundamenta Ecclesiae dicuntur, peculiaris ipsorum est, in eo tamen quod Christi ministri sunt ad animarum salutem procurandam (quae quidem finis est apostolici muneris), et fidem super quam fundata est Ecclesia, per totum orbem disseminarunt, successores in eadem Ecclesia habent usque ad mundi finem; non enim illis solis dixit Dominus: „Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,“ sed in eorum persona omnibus etiam quovis tempore futuris Ecclesiae Pastoribus; et ideo adjecit: „Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.“ Insuper Apostoli non modo fundamenta muri Ierusalem sed portae etiam civitatis ejusdem dici possunt, quatenus per eos praedicantes verbum Christi intramus in regnum Dei: et secundum hoc etiam portarum duodenarius numerus signum est universitatis Ecclesiae docentis, siquidem Apostolorum opus evangelizandi verbum Christi continuatur ab eorum successoribus usque ad finem mundi. Et hoc nihil obstat quominus eadem portae muri Ierusalem secundum introitum in civitatem simulque secundum quatuor orbis partes ad quas respiciunt, universitatem significant fidelium salvandorum. Nam doctrina fidei murus est per firmitatem catholicae veritatis; simulque porta est

per manifestationem divinae voluntatis; nam Dominus dicit: „Qui facit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum.“ Similiter ergo Apostoli et Ecclesiae Pastores in genere per praedicationem verbi Dei muri sunt oppositae adversariis firmam et immutabilem catholicae fidei veritatem; simulque portae sunt ostendentes fidelibus viam assequendi regni Dei. Utrumque etiam Angeli sancti invisibiliter praestant; et ideo vidit B. Ioannes in duodecim portis muri Angelos duodecim, qui eos omnes coelestes spiritus repraesentabant per quos tum Ecclesiae fideles tum Pastores custodiuntur ab inimicis ac diriguntur in via, donec demum in coelestem patriam per eosdem introducantur.

d) Ex dictis de visione B. Ioannis nullo negotio colligitur civitatem Ierusalem quae illi ostensa est, non locum beatorum repraesentasse, sed societatis illorum symbolicam figuram fuisse. Quod coelum beatorum verus locus est, non est dubitandum, siquidem in eo sunt corpora extensa: sed pariter evidens est nomina Apostolorum in fundamentis inscripta muri Ierusalem et nomina trium filiorum Israel in portis muri mysticum aliquid innuere, illud nempe quod supra de Ecclesia docente et salvandorum universitate exposuimus. Porro coelestis Ierusalem non indiget muro, quia nullus ibi timendus inimicorum incursus. Neque Apostoli sunt fundamenta Ecclesiae nisi quatenus haec, in terris militans, in coelestem patriam per eos deducitur. In tantum igitur Apostoli in visione B. Ioannis exhibiti sunt ut fundamenta muri coelestis Ierusalem in quantum fundamenta sunt Ecclesiae militantis. Nec obstat, quod B. Ioannes vidit civitatem sanctam Ierusalem descendente de coelo a Deo; nam in tantum Ecclesia ascendit in coelum in quantum prius descendit de coelo, dixit enim Dominus Iesus: (Ioan. III, 13) „Nemo ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo.“ Quod in Christo quidem intelligendum est de persona eius, in Ecclesia vero militante de gratia et donis Spiritus Sancti, quibus ipsa digna fit sponsa Christi et apta regnare cum Christo in coelis. Itaque si murus coelestis Ierusalem et portae muri, quae B. Ioanni ostensa sunt, rerum spiritualium symbolica repraesentatio fuerunt; et murus quidem erat magnus et altus, quia civitas sanctorum, sive in coelo triumphans, sive adhuc in terra militans, in suo saltem divino elemento, secundum quod militans a triumphante non distinguitur, sed contra de coelo descendit, est absolute inaccessa et hostibus Ecclesiam persequentibus, et superbis alta de se opinantibus, a quibus abscondita sunt spiritualia et coelestia, quae revelantur parvulis, id est, humilibus; et hi proinde sunt quibus portae muri coelestis Ierusalem aperiuntur, dicente Domino: „Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum“: si praeterea duodenarius numerus in fundamentis et in portis muri universitatem respective

repraesentant Ecclesiae docentis et eorum qui salvantur; non immerito ex his infertur reliqua omnia materialia, quae ibidem (Apoc. cap. XXI) B. Ioannes describit, ad coelestem Ierusalem pertinentia, symbolica pariter esse, significationemque habere spiritualem. Ait enim: „Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam, auream ut metiretur civitatem et portas ejus et murum. Et civitas in quadro posita est; et longitudo ejus tanta est quanta et latitudo: et mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia; et longitudo et altitudo et latitudo ejus aequalia sunt. Et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis quae est Angeli. Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide: ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo.“¹⁾

¹⁾ Mensura qua mensus est Angelus civitatem et portas ejus et murum, ideo, ut ego conjicio, arundo fuit quia humana fragilitas arundini comparatur, ut quum dixit Iesus ad turbas de Ioanne Baptista: (Matth. XI, 7) „Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatum?“ Sed arundo, quae natura sua vilis est, facta est aurea, id est, pretiosa, in manibus Christi (posuerunt enim milites Pilati praesidis arundinem in dextera Christi) quia in carne sua immaculata carnis concupiscentiam patibulo crucis affixit, et carnem quam velut arundinem peccata quassaverant, suae resurrectionis virtute solidavit. Et quidem dexteræ Excelsi haec mutatio fuit, ut homo, egenus et pauper, de pulvere ac de stercore carnalis vitae suae ad Dei gratiam elevetur et dignus haeres fiat regni coelestis. Advertendum deinde B. Ioannem Apostolum tunc tantum dicere mensuram hominis esse mensuram Angeli cum de solius muri loquitur dimensione: unde, quamvis omnes beati erunt angelis similes, siquidem similes erunt et Deo, cum tamen illi qui doctrina et vitae sanctitate quasi muri sunt Ecclesiae militantis, non utcumque a Deo glorificandi sint, sed ad sedes occupandas quas mali angeli deseruerunt, sublimandi: hac forte de causa dicitur de Angelo qui praefata mensura utebatur: „Et mensus est murum ejus (civitatis) centum quadraginta quatuor cubitorum mensura hominis quae est Angeli.“ Caeterum eadem, ut puto, de causa visae sunt aureae arundo et civitas: arundo quippe aurea repraesentat hominem terrenum et carnalem, sanctum effectum et filium Dei per merita Christi; civitas vero aurea sanctorum multitudinem vel societatem: et ideo civitas mensuratur per arundinem auream; quia illi habitabunt in domo Domini, seu cives erunt coelestis Ierusalem, qui exuentes veterem hominem, terrenum videlicet atque carnalem, induunt novum, id est, Christi spiritum, per quos, non modo numerus implebitur beatorum hominum quos coelum habitare oportet, sed numerus quoque eorum angelorum qui coelesti gloria indigni facti sunt malitia sua; nam in hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. (Conf. quae de hoc disputavi in dissert. de Humilitate atque Superbia, lit. h) in nota). Porro Christus est per se aurum mundissimum, quoniam a seipso et necessario sanctus: et ideo Propitiatorium quo operiebatur Arca testamenti, et per quod figurabatur Christus, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ex auro puro erat factum. Itaque arundo aurea homo mortalis est, Christi supernaturaliter vivens spiritu. Hoc tamen discriminis notandum est inter civitatem et arundinem, quod arundo visa est aurea simpliciter, civitas vero dicitur esse aurum mundum, simile vitro mundo. Et quidem Ecclesia militans in suis sanctis aurum est, sed non adhuc aurum mundum, quatenus non est adhuc sine macula aut ruga sicut Ecclesia triumphans, cui nemo vel minima foedatus macula incorporabitur: non est enim homo justus in terra qui faciat bonum et non peccet. Et insuper aurum

Notandum porro ita loqui B. Ioannem loc. cit. de coelesti Ierusalem ut aliquem se vidisse non dicat beatorum coetum, sed materialem tantum civitatem seu locum describat; et nihilominus Angelus qui cum eo loquebatur, eandem materialem civitatem illi ostensurus, dixit ei: „Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni.“ Quod quidem mysterio haud carere existimo, eo vel magis quod non est credendum talem in rei veritate esse coelestem Ierusalem qualis a Ioanne describitur. Nam in primis in ea non est opus muro, ut supra diximus: murum autem ideo B. Ioannes vidit in ea quia Ecclesia triumphans est ipsa Ecclesia militans secundum eos qu;

mundum coelestis Ierusalem simile dicitur esse vitro mundo; quia beati non modo sancti erunt, sicut viatores, per participationem divinae charitatis, quae per aurum designatur, sed splendore quoque divinae gloriae refulgentes decorabuntur, quod per auri perspicuitatem figuratur. Cum enim beati futuri sint Deo similes, qui lux et charitas est, hinc utramque divinitatis perfectionem pro merito suo participabunt. — Alia praeterea in visione Ioannis de qua agimus, occurrit differentia inter militantem Ecclesiam ac triumphantem. Nam de muro civitatis, cuius symbolica significatio ad militantem Ecclesiam refertur, dicitur quod structura ejus erat ex lapide jaspide, et fundamenta ejus omni lapide pretioso ornata; civitas vero non gemmis ornata esse dicitur, sed esse aurum mundum, simile vitro mundo. Cujus differentiae ratio haec assignari potest. Dum per fidem ambulamus et non per speciem, ut Apostoli verbis utar, charitas non est perfecte consummata, sed perficitur in dies medio caeterarum virtutum exercitio, juxta illud Ps. 83: „Ibunt de virtute in virtutem“; aliunde vero ad Ecclesiam ab hostibus tuendam et ad fidem in Ecclesia servandam virtutes omnes opus est exerceri: quando autem videamus Deum deorum in Sion, neque hostes erunt a quibus caveamus, nec per fidei aenigmata cognoscemus Deum, sed per intuitionem ipsius essentiae suae; et in charitate jam consummata continebitur virtualiter eminenter omnium perfectie virtutum quae exercentur in via. In muro itaque visae sunt gemmae, quia virtutes repraesentant viatorum, quae fructus sunt fidei per dilectionem operantis, et vicissim necessariae sunt ad fidem conservandam et augendam atque adversus Ecclesiae hostes defendendam. Quatenus ergo gemmae visae sunt ut fundamenta ornantes, repraesentant virtutes tamquam fidei fructus: quatenus vero de ratione fundamenti participant, repraesentant virtutes tam quam necessarias ad fidem conservandam atque tuendam. Ideo structura muri ex lapide jaspide esse dicitur, qui tamquam firmissimus repraesentat fidei firmitatem; (et similiter dicit Dominus — Isaiae cap. LIV — militantem alloquens Ecclesiam Christi: „Ponam jaspidem propugnacula tua“) simulque primum fundamentum erat jaspis: murus namque fides est, et ideo in toto muro fides; rursusque fides caeterarum virtutum fundamentum est, et ideo primum fundamentum fides. Notandum porro est, quod murus dicitur esse ex lapide jaspide simpliciter; caeteri vero lapides, etsi visae sunt ut fundamenta muri, dicuntur tamen ornare murum. Et ratio est, quia cum totus murus fides sit, virtutes reliquae non pertinent ad murum nisi una cum fide seu cum respectu ad fidem: et ideo reliqui lapides inter jaspidem et jaspidem positi sunt, id est, inter primum fundamentum, quod jaspis est, et superiore muri partem quam fundamenta sustentant; quoniam fides, ut supra diximus, et fundamentum est coeterarum virtutum, et per earum vicissim exercitium conservatur et augetur, ac defenditur ab Ecclesiae hostibus. Sed insuper, cum totus murus fides sit, non ita in fundamentis exhibentur lapides reliqui ut in ea muri parte ubi ipsi sunt, intelligatur jaspis non adesse, etsi illi tantum appareant exterius; nam fides, quae reliquarum virtutum

salvi fiunt; nam ea quae in muro symbolice figurata sunt, ad Ecclesiam pertinent militantem. Praeterea quis credat coelestem Ierusalem ad duodecim tantum extendi stadiorum millia? Quid enim est quod vidit B. Ioannes coelum novum et terram novam, et juxta Isaiam erit lux Lunae sicut lux Solis, et lux Solis erit septemplex sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagae ejus sanaverit, nisi quod coeli in die iudicii renovabuntur ac splendidiore reddentur ad honorem et gaudium glorificati hominis, propter quem, visibilia omnia creata sunt, et ad cujus proinde beatitudinem spectabit non modo spiritualium fruitio ac divinorum, sed totius quoque materialis Universi?

fundamentum est, etiam in virtutibus ipsis murus est. — Deinde, sicut de muro generaliter diximus quod et fidei symbolum est et Ecclesiae docentis, ita de lapidibus pretiosis quibus muri fundamenta ornantur, dicendum est quod non solum virtutes ipsi repraesentant, sed Apostolos etiam quos illae decorabant: et in honorem quidem duodecim Apostolorum duodecim lapides pretiosi ad significandam universitatem virtutum in fundamentis muri positi esse videntur, siquidem Apostoli fundamenta Ecclesiae sunt, et in fundamentis muri eorum nomina apparuerunt inscripta. Praeter hoc autem, de Apostolis omnibus generaliter dictum, quiddam peculiare de Apostolo Petro tenendum est ratione sui primatus. Nam Apostoli reliqui fundamenta quidem Ecclesiae vel muri sunt, sed Petrus insuper est in toto muro, quatenus Ecclesiae Pastores quovis tempore in tantum ad murum pertinent in quantum cathedrae Petri adhaerent. Unde, cum et primum muri fundamentum jaspis sit et totius muri structura, per jaspidem repraesentatur Petrus, cui dixit Dominus: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalerunt adversus eam“. — De portis autem muri similiter dicitur: „Et duodecim portae duodecim margaritae sunt per singulas, et singulae portae erant ex singulis margaritis“: simile quippe est regnum coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas, qui inventa una pretiosa, abiit, et vendidit omnia quae habuit, et emit eam. Revera quaelibet e christianis virtutibus vel quam christiana fides docet, margarita est pretiosissima, quam qui comparaverit, jus ad possessionem regni Dei acquisivit, cum aliquam e christianis virtutibus nemo habeat sine charitate, quae, utpote virtutum omnium radix et forma, prae omnibus est pretiosa margaritis; et in qua qui manet, in Deo manet, et Deus in eo. Margarita pretiosa fuit Iustino martyri christiana fides, qui relictis philosophorum sectis, in stultitia crucis eminentem, Iesu Christi scientiam invenit. Nec minoris pretii fuit quam Antonius Abbas comparavit, qui auditis in ecclesia illis Scripturae verbis: „Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quae habes, et da pauperibus“, evangelicam amplexus paupertatem, inaeestimabiles divitias Christi possidere meruit. Et ita porro de Sanctis ac virtutibus reliquis. Et bene quidem, etsi murus coelestis Ierusalem doctrina fidei est, symbola tamen virtutum ponuntur in portis; nam cum fides sine operibus mortua sit, non nisi per virtutum exercitium quotquot salvantur, salvi fiunt. Sicut autem doctrina fidei, ut superius diximus, est nobis porta coeli, et propter eam portae etiam sunt Ecclesiae Pastores ipsam praedicantes, similiter iidem Pastores margaritae sunt, si virtutum ornamento in Ecclesia fulgeant. Neque enim ipsi portae coeli sunt, si non sint et margaritae quia non per solam doctrinam animae Christo lucrifiant, quae post eum currunt in odorem unguentorum, id est, virtutum ejus. De quibus profecto alludit unguentis, qui odorem eorum percipiens, in spiritu Dei cantavit: „Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod

Ideo, ni fallor, de statu beatitudinis scriptum est: (Sap. III, 7) „Fulgebunt justi et tamquam scintillae in arundinetó discurrent“; quia non duodecim tantum millium stadiorum spatium supremi coeli erit possessio justorum, sed totum supremum coelum totaque Universi sphaera, solis exceptis Terrae visceribus, ubi reprobi peccatorum suorum poenas luent; et sic vere ponentur inimici Christi, prout dicit per os David Deus Pater, scabellum pedum illius, quia in centro Universi positi, sub pedibus erunt totius societatis sanctorum, qui membra sunt mystica corporis Christi. Itaque sicut murus repraesentat fidem una cum Ecclesia docente, et duodecim fundamenta muri duodecim Apostolos, similiter per civitatis extensionem duo-

descendit in barbam, barbam Aaron. Quod descendit in oram vestimenti ejus... Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in saeculum.“ Porro nisi benedicat nobis Dominus ex Sion, bona coelestis Ierusalem videre non poterimus: iis autem benedicit Dominus qui tamquam fratres habitant in unum per spiritum charitatis, qui a capite Christo effunditur in Ecclesiae Pastores, et per eos descendit etiam ad fideles. De cujus odore unguenti dicebat Apostolus: „Christi bonus odor sumus Deo“. Et ad idem allusit Sponsa dicens ad Sponsum in Canticis: „Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulae dilexerunt te.“ — Denique, ut magis magisque suadeatur, per materialem civitatem quae B. Ioanni ostensa est, beatorum societatem intelligendam esse, considerare oportet quod templum B. Ioannes in ea civitate non vidit, eo quod Dominus Deus omnipotens, ut ipse ait, templum illius sit, et Agnus. Equidem ex eo quod templum Ioannis in ea civitate non viderit, non sequitur civitatem illam quae in visione apparuit, societatis beatorum symbolicam figuram fuisse; sed potuit ipsa beatorum locum repraesentare: siquidem beati, etsi erunt vere in loco secundum corpora, templo tamen aliquo materiali non indigebunt in quod se recipiant ad adorandum Deum, cujus faciali praesentia semper et ubique fruuntur. Verum ex eo quod ipsius civitatis templum Deus ipse sit et Agnus, utique inferunt per civitatem eandem figurari beatorum coetum. Beati enim sunt omnes et singuli templum Dei secundum quod Deus habitat in eis per actionem qua eos beat; et similiter Deus est beatorum templum secundum quod ipsi habitant in Deo consequenter a beatificante actione Dei; eatenus quippe Deum vident facie ad faciem quatenus in luce habitant divinitatis, in qua Deum ipsum. Apostolus habitare dicit, etsi a Deo illa non distinguitur. Quatenus igitur in substantiali luce Dei collocati Deum adorant, et e Sancti Spiritus ad eos communicatione ipsam Dei claritatem participant, juxta divinam in Evangelio promissionem intrant in gaudium Domini sui, merito in Deo tamquam in templo suo habitare dicuntur. Sed et Agnus dicitur beatorum templum, quoniam in homine Christo beati Deum adorant. Etsi enim in sanctis omnibus Deus adoratur, speciali tamen ratione humanitas Christi templum est vel tabernaculum Altissimi, quippe quae non solum inhabitatur a Deo per animae sanctificationem sicut in omnibus sanctis, sed est aliquid pertinens ad personam Verbi, et ipsa proinde est domus quam principaliter Sapientia aedificavit sibi, cum in ea omnis plenitudo divinitatis inhabitet. Rursum B. Ioannem loc. cit. non de materiali loqui civitate, sed de beatorum coetu, per materialem tamen civitatem figurato, confirmatur, quia civitas illa non eget sole neque luna ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus; ut ibidem Ioannes testatur. Quid enim est hoc, nisi quod sicut corporalia sole et luna, ita sancti claritate Dei illustrantur? Agnus vero ideo fortasse illius dicitur lucerna civitatis, quia gloria deitatis in eo eminenti ac singulari splendore refulget.

decim millium stadiorum figuratur ingens beatorum numerus, et per muri altitudinem centum quadraginta quatuor cubitorum multitudo Pastorum Ecclesiae. Et bene quidem servatur proportio inter numerum Pastorum et beatorum multitudinem, dum pro illis duodenarius numerus duodecies replicatur, pro his vero numerus adhibetur non duodecies sed millies duodenario major, et non cubitorum sed stadiorum. Cum igitur Ecclesia triumphans, quae B. Ioanni per symbolicam materialis civitatis figuram ostensa est, sit ipsa Ecclesia militans, suae nacta victoriae praemium atque triumphum, de qua dicitur in Cant. VIII, 5: „Quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?“ (ideo quippe a Ioanne visa est de coelo descendere, quia non sua virtute ascendit, sed innixa super dilectum suum, qui de coelo est) hinc duodenarius numerus, quem in Scripturis sanctis significandae et Pastorum et fidelium Ecclesiae militantis multitudini invenimus consecratum, in descriptione quoque adhibetur Ecclesiae triumphantis.

(Conclusio sequitur in seq. fasc.)

Die Geschichte der ehemaligen Benediktinerabtei Lubin von ihrer Gründung bis zu ihrer ersten Zerstörung im Jahre 1383.

Von Josef Paech, Priester der Erzdiözese Gnesen-Posen.

Quellen und Literatur.

A. Handschriften.

1. Antiquitatum Monasterii Lubinensis O. S. B. libri duo. Quorum prior abbates ejus Professos, posterior mistos, id est partim commendatarios partim Professos et res sub eorum regimine gestas complectitur. (Zitiert: Crivinius, Antiquitates.)

Die »Antiquitates« befinden sich im Königlichen Staatsarchiv zu Posen unter C 29. Es ist eine schön geschriebene Handschrift in 4^o, in Leder gebunden. Auf der ersten Seite steht von späterer Hand ein kurzer Lebenslauf des Verfassers. Wir erfahren über ihn folgendes: Bartholomäus Crivinius legte am 21. März 1608 die Gelübde in Lubin ab. In Posen, im Collegium Lubranscianum, studierte er die humaniora und Theologie. Im Jahre 1628 wurde er im Kloster zu Tyniec Subprior, im Jahre 1642 Prior in seinem eigenen Kloster Lubin. 1645 wurde er Pfarrer in Dalewo. Nachdem er dort eine Zeitlang gewirkt hatte, war er in Lubin als Lehrer an der Klosterschule tätig und starb am 28. Oktober 1669.